Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38166
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

174

iusto; Idest uerissima fides ut inluminatur talia credat
que eum ad caelorum regna perducant; Et rectis corde laetitia;
Rectis uoluntate laetitia oritur quando domino prestante talia gerunt
que sibi profutura esse cognoscunt; Laetamini iusti in domino; Nunc
ipsos commonet ut in domino laetari debeant non in humano de
siderio; Et confitemini memoriae sanctificationis eius; quan
do in illo regno perpetuo fuerint collocati; recordantes de
quanta clade huius saeculi domino sint miserante subtracti;
PSALMUS DAVID; Simplices isti tituli referunt ad
dominum de cuius incarnationis gloria et secundo aduentu
psalmus iste dicturus est;
CANTATE DOMINO CANTICUM NOUUM; Propheta fideles
commonet ut nouum canticum de domini incarnatione con
celebrent; Nouum utique quia numquam aliquid simile mun
dus cognouit; Quia mirabilia fecit; causa red
ditur cantici noui quia mirabilia fecit scilicet
quando caecis lumen claudis gressum donauit et caetera;
Saluauit sibi dexteram eius; Saluauit idest omnipotens uer
bum christum dum mundi istius peccata nesciuit dum triduana
uelocitate surrexit; non quia alter est christus et alter
omnipotens uerbum sed ut ipsum intellegeres qui dixit potesta
tem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam;
Et brachium sanctum eius; Idest ut propheta de filio dicit et brac
hium domini cui reuelatum est; Notum fecit dominus salutare suum;
Idest dominum saluatorem quem simeon in templo suscepit
in manibus et dixit nunc dimittis seruum tuum domine secundum
uerbum tuum in pace; In conspectu gentium reuelauit
iustitiam suam; In conspectu gentium sic hieremias propheta
dicit;